



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

VIII. De his, qui & aliis sacrificandi causas attulerunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

vitam eorum & singulos actus, examinent.

VII.

Hi, qui secundo & tertio sacrificauerunt coacti, quatuor annis pœnitentiæ subiiciantur: duobus autem aliis sine oblatione communicent, & septimo anno perfecte recipiantur.

VIII.

Quotquot autem non solum ipsi deuiarunt, sed etiam insurrexerunt, & compulerunt fratres, & causas præbuerunt vt cogentur: hi per triennium quidem locum inter audientes accipiant, per aliud vero sexennium pœnitentiæ subiiciantur acriori, & alio anno communionem sine oblatione percipiant, vt perfectionem (expleto decennio) consequantur. Inter hæc autem & eorum vita pensanda est.

IX.

Distinct. 28.
Diaconi
quicumque.

Diaconi, quicumque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerunt velle se coniugio copulari, quia sic manere non possunt: hi, si postmodum vxores duxerint, in ministerio maneant, propterea quod eis Episcopus licentiam dederit. Quicumque sane tacuerint, & susceperint manus impositionem, professi continentiam, & postea nuptiis obligati sunt, a ministerio cessare debent.

Nota tacitam continentie professionem in susceptione diaconii.

X.

27. q. 2. Desponsatas puellas.

Desponsatas puellas, & post ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi, quibus ante fuerant desponsatæ, etiam si eis a raptoribus vim illatam constiterit.